

His praemissis, catholicae doctrinae praecipua fundamenta paucis subiicienda sunt.

PROPOSITIO I.

12. — *Homo in statu naturae lapsae liber est ab omni necessitate intrinseca.*

Constat 1^o ex *Scriptura sacra*. Sic enim Eccli. 31. 10.: *Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit.* Et Eccli. 15. 14.: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eadem doctrina ex sexcentis aliis sacrae Scripturae locis confirmatur.

2^o *Ex ratione*. Homo ex omnium consensu potest mereri et demereri, seu elicere actus meritorios et demeritorios; atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate: et sane nisi homo esset liber ad actum ponendum aut non ponendum, non esset dominus actus sui, ergo actus ille non posset ipsi imputari neque ad meritum neque ad poenam. Insuper ad quid praecepta homini imponerentur? Ad quid prodessent adhortationes? Ad quid praemia, minae, et poenae, nisi homo libertate potiretur? Demum id constat ex sensu intimo, cum homo se sentiat liberum, et aliunde sensus intimus fallere nequeat. Ergo...

3^o *Ex definitione Ecclesiae*. Sic enim sancitum fuit in *Conc. Trid.* sess. 6. can. 5.: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo..., anathema sit.*

Confirmatur ex damnatione *prop. seq.* Iansenii ab Innoc. X. facta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* (2).

PROPOSITIO II.

Homo viator non tantum est liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, qua ad malum ferri potest.

Constat ex omnibus rationibus et testimoniis mox relatis, v. gr. ex illis verbis: *Potuit transgredi..., facere mala, etc.*

(2) Adverte insuper, libertatem Adami peccantis non sufficere, ut hominis lapsi actiones evadant morales ac demeritoriae. Definitum id habemus in proseriptione huius thesisi Christiani Lupi, quae prima est inter 31. damnatas ab Alexandro VIII:

In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali et libertate Adami peccantis.

Caeterum tota essentia liberi arbitrii reperitur in libertate *contradictionis*; in eo enim consistit, quod sit facultas agendi, vel non agendi: atqui hoc praestat libertas *contradictionis*, ut patet. Ergo... Hinc potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii. — Vide *plura de libertate in Theologia dogmatica.*

ARTICULUS III. — DE OPPOSITIS VOLUNTARIO ET LIBERO.

Quatuor opponuntur, scilicet ignorantia, concupiscentia, metus, et vis seu violentia.

§. I. De ignorantia.

13. — DEFINITIO. Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiae. DIVISIO. Distinguitur ignorantia

1^o *Positiva* vel *negativa*, prout est carentia scientiae debita, vel indebitae, v. gr. ignorantia iuris canonici in rustico.

2^o *Iuris* vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis existentiam.

3^o *Vincibilis*, vel *invincibilis*, prout, adhibita diligentia, vinci potest, vel non. — Invincibilis autem est *physice*, si nullo modo vinci possit (1); *moraliter* vero, si adhibita morali diligentia tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes, pro rei gravitate, adhibere solent. Porro non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem *in confuso*, obligatio ulterius inquirendi; quia prima idea non est in hominis potestate.

Hinc mentio quoque facienda ignorantiae *concomitantis*, qua quis ignorat quid agat, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit. — *Scav.*

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet 1^o *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur; 2^o *crassa* seu *supina*, quando nullum aut vix ullum in veritate indaganda studium apponitur; 3^o *affectata*, quando quis media ignorantiam deponendi voluntarie refugit, ne a suo proposito retrahatur.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta et inadvertentia plena. Hae autem, si non sint perfectae, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

4^o Ignorantia *antecedens* ea est, quae praecedit omnem voluntatem; *consequens* vero, quae eam aliquo modo subsequitur (2).

(1) Huius considerationis nullus usus est in moralibus; nusquam enim Theologi inquirent, num *physice*, sed solum an *moraliter* ignorantia sit vincibilis.

(2) Ad rem S. Thomas (1. 2. q. 6. a. 8.): *Antecedenter se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, et tamen est causa volendi, quod*

14. **Principia.** — I. Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium, tum quia ipsa non est voluntaria, tum quia nihil esse potest voluntarium, ubi nulla est cognitio. Nullus igitur actus ex ignorantia invincibili procedens imputari agenti potest.

Sic pariter de oblivione et inadvertentia perfecta statuendum, cum eadem ratio recurat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia sive directe, sive indirecte est vere voluntaria. Attamen voluntarium minuit, quia est causa illud volendi, quod, ea absente, quis nunquam vellet. Idem quoque ob paritatem rationis de oblivione et inadvertentia imperfecta dicitur.

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata multo minus minuunt voluntarium, ac proinde peccatum. Ratio est, quia prior ex gravi oritur negligentia, posterior vero de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves. — 1^o Coniux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suae, reus est adulterii, non tamen incestus utpote invincibiliter ignorati.

2^o Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiae vel suspitione malitiae, re ipsa formaliter non peccarunt, etsi usum rationis adepti iam fuerint; et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt, cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3^o Si confessarius vel iudex advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem modo praevideat, quia ipsi, saltem in causa, sunt voluntarii.

4^o Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, factum ex ea sequens ad culpam tantum venialem erit imputabile. Ratio, quia eiusmodi actus sunt voluntarii atque adeo culpabiles tantum in causa; cum ergo causa, ignorantia scilicet, ad gravem culpam non pertingat, effectus quoque levem culpam excedere non potest.

alias non vellet... Et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.

Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria... Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria... non potest causare simpliciter involuntarium: causat tamen secundum quid involuntarium, in quantum prae-

cedit (idest causat) motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset, scientia praesente.

Et ex his patet, ignorantiam antecedentem dici, quae nec voluntaria est, nec vincibilis, atque adeo nec culpabilis; consequentem vero et voluntariam esse, et vincibilem, et plus minusve culpabilem.

De ignorantia plura alia vide alibi passim, imprimis in tractatu de Conscientia, de Legibus, de Peccatis et de Contractibus in genere, ubi de errore. — V. Casus, Vol. I. n. 12. et seq.

§. II. *De concupiscentia.*

15. — DEFINITIO. Concupiscentia est motus appetitus sensitivi quo voluntas fertur ad bonum sensibile (3).

DIVISIO. Duplex distinguitur: alia *antecedens*, et alia *consequens*. Prior est, quae ordine casualitatis quamlibet praecedat voluntatis deliberationem seu consensum, eamque ad consentiendum allicit ac trahit. Posterior vero est, quae ordine casualitatis actum voluntatis sequitur, sive quia vehemens voluntatis motus redundat in inferiorem appetitum, sive quia hunc ipsum voluntas directe et de industria excitat (4).

Principia. — I. Concupiscentia antecedens, atque adeo non voluntaria, quo maior est et vehementior, magis peccatum imminuit, imo a peccato omnino excusare potest. Ratio, quia motus appetitus sensibilis turbat, minuit, seu etiam impedit iudicium rationis; causae autem quae diminuunt iudicium rationis, diminuunt et voluntarium. Cum igitur actus in tantum sit peccatum, in quantum est voluntarius, eo ipso concupiscentia, dum voluntarium imminuit, minuit et peccatum; atque adeo ubi intensior ac fortior est concupiscentia, ibi minus est peccatum; imo penitus cessabit ratio peccati, si concupiscentiae motus totaliter usum rationis impediatur. S. Thom. 1. 2. q. 73. art. 6; et q. 77. art. 2. 6. et 7. (5).

(3) Nimirum *concupiscentiae* nomine hic intelligitur non quidem perpetuus ille nobisque insitus pravaram cupidinum fomes, de quo Apostolus (Rom. VII. 23.): *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, etc., sed uti post Damascenum inquit S. Thomas (3. Dist. 26. q. 1. art. 1.): *Motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali.*

(4) Duplex scilicet distinguenda est concupiscentia *consequens*; alia enim quasi indirecte est ex redundantia, quatenus motus voluntatis redundat in appetitum; alia vero directe a voluntate cietur. Prior voluntaria dicenda est potius *in causa*, quam *in se*; secus vero, ubi quis appetitum excitet, vel excitatum studiose foveat et continuet, uti v. gr. cum quis apposite de inimico, acceptisque iniuriis

cogitat, ut in se odium accendat aut vindictae augeat cupidinem. Sic (inquit Suarez in 1. 2. Tr. 2. Disp. 8. Sect. 3. n. 1.) *homines studiosi excitant in se similes affectus ad melius exercendas actiones, et de hac (concupiscentia) dixit Aristoteles (3. Eth. c. 8.), operari ex ira non esse viri fortis, sed excitare in se iram per virtutem fortitudinis, ut melius operetur: adducit Homerum dicentem: virtuti immitte furorem: et de hac Augustinus (De Civ. Dei Lib. 14. c. 9.), dicit, sapientem non posse in hac vita vivere sine affectibus. Et huc quidem spectat, quod quispiam eos reprehensurus, quos tenero diligat affectu, semet ad reprehensionem serio adhibendam quodammodo excitare debeat.*

(5) S. Thomas: *Passio quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum ra-*

II. Concupiscentia consequens, ideoque voluntaria, non diminuit peccatum, sed magis auget, *seu potius* (ut ait S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 6.) *est signum magnitudinis eius, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.* S. Thom. 1. 2. q. 77. art. 6.

Prob. 1^a pars, quia peccatum consistit in actu voluntatis rationalis, qui ex hypothese antecedit motum concupiscentiae, sicut causa praecedat effectum. Posterior ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit non potest afficere actum peccandi, qui iam praecessit, ideoque nec voluntarii et peccati rationem minuere.

Prob. 2^a pars, quia, ut habet S. Thomas (de Mal. q. 3. art. 11): *Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum, quod motus voluntatis sit fortior: et hoc modo verum est, quod ille qui cum maiori compassione facit eleemosynam, magis meretur (6), et qui cum maiori libidine facit peccatum, magis peccat: quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior.*

16. — Hucusque de concupiscentia, prout est passio appetitus sensitivi ad bonum vel ad malum indifferens, et a Theologis consideratur uti minuens aut etiam penitus auferens voluntarium. Nunc nonnulla alia de concupiscentia, prout hoc nomine designatur pravatum cupiditatum fomes, de qua saepius Apostolus disserit, estque ad malum propensio non solum in inferiori, sed etiam in superiori appetitu residens (7).

Principia. — I. Utcumque pravi fomitis stimulis animus pulsetur, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas aut eis consentiat, aut ipsos, cum potest et debet impedire, non impediatur. Communis et certa. — Vid. S. Thom. 2. dist. 34. q. 3. art. 1; et Quodlib. 4. art. 21.

II. Voluntatis motus primo-primi, nempe qui praeveniunt quamlibet

tionis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et tunc si talis passio... non fuerit voluntaria... actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusat. Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis. Et tunc ratio potest passionem excludere... Unde talis passio non totaliter excusat a peccato. 1. 2. q. 77. a. 7.

(6) Ex his patet, ea quae hic dicuntur de motibus sensitivi appetitus, aequae spectare ad actus malos ac bonos. Proinde

totam doctrinam actibus bonis sic applicat S. Thomas (1. 2. q. 77. a. 6. ad 2.): *Bona passio consequens iudicium rationis augmentat meritum; si autem praecedat, ut scilicet homo magis ex passione, quam ex iudicio rationis moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus.*

(7) Commodior de his disputandi locus communiter, et quidem merito, in Tractatu *De Peccatis* servatur. Nihil enim ea pertinent ad quaestionem praesentem de iis, quae voluntarium minuunt aut prorsus tollant.

rationis deliberationem, et eliciuntur, antequam attendatur ad obiecti convenientiam cum regula morum, prorsus culpa carent. Ratio, quia quatenus deliberationem rationis, et advertentiam ad moralem malitiam praeveniunt, nec voluntarii sunt nec liberi, et consequenter formalis peccati sunt expertes. Ita Theologi omnes.

III. Motus voluntatis secundo-primi, qui scilicet ad aliqualem rationis usum consequuntur, eliciuntur tamen cum tenui tantummodo, obscura, et imperfecta ad regulam morum advertentia, in qualibet etiam gravi materia sunt solum peccatum veniale. Ratio, quia eiusmodi actus sunt imperfecte liberi et solum semi-deliberati; adeoque propter imperfectionem actus a gravi culpa excusantur. Ita pariter Communis Theologorum.

Resolves. — 1^o Motus utcumque pravi, quousque voluntati displicent, etiam post advertentiam ad regulam morum, omni culpa vacant. Ratio, quia ubi est eiusmodi displicentia, nullus est consensus. *Nocere autem non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus (concupiscentia) non valet, ut docet Synodus Trid. Sess. 5.*

2^o Motibus concupiscentiae, post rationis advertentiam, resisti debet saltem per displicentiam virtualement, animum scilicet ad alia distrahendo, nec sufficit se negative seu neutraliter tunc habere, etiamsi periculum consensus abesse videatur. Ita communiter Theologi (8).

3^o Potissime vero id valet quoad motus concupiscentiae in re venerea, qui ne praetextu quidem luctae et exercitii virtutis retineri debent.

4^o Nulla tamen adest obligatio carnalibus motibus positive resistendi, cum talis resistentia subinde magis illos excitet; multoque minus necessaria est resistentia materialis.

5^o Non modo quoad carnales motus sed etiam quoad motus contra fidem et charitatem resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est, potiusquam directa aliqua resistentia seu oppugnatio. — S. Alph. lib. 5. n. 6.

6^o Nec item tenemur ad positivam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quae diu protrahatur; hoc enim nimis molestum et innumeris scrupulis obnoxium foret.

7^o Quando absit periculum consensus, in motibus concupiscentiae mere negative se habere, iuxta veriore sententiam, peccatum tantum veniale est, licet de obiecto gravi agatur, nec alia adsit causa a resistentia excusans. — S. Alph. lib. 5. n. 9.

(8) Huc spectat proscriptio duarum propositionum Michaelis de Molinos, 17^{ae} scilicet et 37^{ae}, quas cf. sis.

QUAERES. *Quaenam sint remedia contra motus concupiscentiae?*

Resp. Ea generatim, quae eorum causis opponuntur. Hinc si proveniant ex phantasia, haec, compescenda est, aut ad alia convertenda; si ex obiectis externis, aut occasionibus, haec fugienda, nisi iustae rationes contra exigant, aut ab omnibus obiectis quis moveatur; si ex complexione vel humorum abundantia, mortificatio adhibenda est; si ex timore, vincendus hic est, seu spernendi sunt motus. — V. Casus, n. 21.

§. III. *De metu.*

17. — DEFINITIO. Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime coniunctis.

DIVISIO. Metus sic communiter dividitur, scilicet.

1^o Metus *gravis*, vel *levis*, prout timetur malum vel *grave*, uti mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famae detrimentum, magna honorum iactura, etc.; vel *leve* e contrario, seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famae detrimentum, vel etiam *grave*, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem gravis est *absolute*, vel *relative*. Metus dicitur *absolute gravis*, cum mala in se vere gravia timentur; *relative autem gravis*, quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad quasdam personas: sic pueri, mulieres, senes timore maiori in eodem periculo affici solent, quam viri aetate maturi.

2^o Metus ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*, prout provenit a causa intrinseca, v. gr. a morbo, ab infirmitate mentis, etc., vel a causa extrinseca sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3^o Metus *iuste*, vel *iniuste* incussus, prouti causa vel iusta, v. gr. poenarum promeritarum infertur; vel iniusta, hoc est per iniuriam incutitur.

Addendus etiam metus reverentialis, qui habetur quando quis timet ne parentes suos, aut alios Superiores habeat offensos. Ad metum iustum vel iniustum refertur, prout iusta vel iniusta est eius causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

18. **Principia.** — I. Actus ex metu quantumvis gravi positus, est *simpliciter*, et *absolute voluntarius* et *liber*. Ratio est, quia per metum neque tollitur cognitio ex parte intellectus, nisi penitus mens perturbetur, neque electio ex parte voluntatis, quae semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. — S. Lig. n. 21. — Hinc semper ut apostatae illi habiti sunt, qui metu tormentorum victi Fidem negarunt.

II. Quae ex metu fiunt, etiamsi sint simpliciter voluntaria, tamen regulariter (9) sunt etiam involuntaria *secundum quid*: unde et culpae gravitas minuitur. Ratio est, quia cum quis solo metu ad agendum impellitur ita agit, ut absente metu ab agendo refugeret; atque adeo opus solo metu factum sociatam quandam voluntatis tristitiam ac repugnantiam, licet inefficacem, habet.

III. Si metus rationis usum auferat, actus, uti patet, voluntarius nullo modo esse potest. Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter impediatur, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

IV. Metus sub omni respectu levis saltem in foro externo (10) non censetur actuum causa efficax. Praesumitur enim, eiusmodi timorem contemni facile potuisse, atque adeo hominem sua prorsus sponte egisse.

19. **Resolves.** — 1^o Metus levis nunquam a peccato gravi excusare potest, ubi materia praecepti violati gravis est.

2^o Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, nec de mortali veniale facit, quoties violatio cedit in contemptum Fidei vel Religionis, et generatim quoties lex non cessat propter grave aliquod incommodum, ut infra dicitur in Tract. de Leg. n. 108. Caeterum remoto eiusmodi periculo, metus gravis excusat a lege humana; quia non censetur legislator cum tanto incommodo obligationem legis urgere velle (11).

3^o Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut supra dictum est, ubi de concupiscentia, n. 13.

4^o Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens, non impedit quominus actus ex illo elicited sit simpliciter voluntarius, et possit esse validus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum. — Reuter, n. 20. — Billuart, diss. 1. art. 7. — Elbel, n. 48. — V. Casus, n. 17. et seq.

(9) Dicitur *regulariter*; quia dolor peccatorum, qui ex metu divinae ultionis elicited, omnem veri *involuntarii* rationem, seu omnem affectum deliberatum erga peccatum excludit, ut in *Opere th. Morali* declaratum est vol. 1. n. 132.

(10) Dicitur *in foro externo*; quia est mera praesumptio, cum alioqui etiam metus levis possit reapse causa esse agendi, adeo ut actus sit quidem *simpliciter* voluntarius, tamen involuntarius quoque se-

cundum quid; et quamvis levis metus excusare non possit a gravi ulla obligatione, attamen, si iniuste incutiatur, probabiliter in foro conscientiae ius tribuit, ne quis ad contractum ex tali metu initum obligetur. S. Alph. Lib. 3. n. 718.

(11) Quando autem metus a censuris aliisve poenis delinquentem eximat, aut quando actuum valori obsit, suis locis, ubi de Voto, de Contractibus, de Matrimonio, de Censuris, etc. disputatur.

§. IV. *De vi, seu violentia.*

20. — DEFINITIO. Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante eius voluntate.

DIVISIO. Duplex distinguitur violentia, scilicet, *absoluta* vel *secundum quid*, prout coactio alicui omnimode, vel aliquatenus tantum repugnanti infertur (12).

Principia. — I. Actus elicitus voluntatis nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit. Proinde S. Anselmus: *Invitus* (inquit) *nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle* (De libero arbitrio, c. 6.). Et S. Thomas: *Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus, vel violentus* (1. 2. q. 6. art. 4.).

II. Actus externi (13) ex violentia absoluta positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii; actus autem externi, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro maiori vel minori resistendi difficultate, aut pro maiori vel minori affectu, quo quis vim patitur. — S. Lig. n. 17.-18.

21. **Resolves.** — 1^o Mulier quae omnimode resistit violentiae, quae ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patitur; nemo enim peccat omnino invitus.

2^o Peccant graviter feminae vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr. offendendi aggressorem, etc., non resistant, quantum possunt, etiam secluso periculo consensus; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen dum minus, quam par est resistunt, aequivalenter in sui violationem consentiunt et crimini alterius cooperantur. — An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter, secluso praedicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cuiuslibet notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae verecundiae; nam si alioqui iam resistat quantum potest, non tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse S. Lig. 1. 3. n. 430. In praxi tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob alicuius consensus periculum (14). — S. Lig. 1. 3. n. 368.

(12) Dupliciter contingit, quempiam aliquatenus tantum repugnare, scil. 1^o cum vis non est eiusmodi, quae contumaci resistentia frangi aut debilitari non possit. 2^o aut cum vim illatam, quaecumque demum sit, quis non patitur invitus.

(13) Intellige actus extrinsecos voluntati, qui aliis potentiis sive externis, sive internis eliciuntur. Etenim non solum ex-

teriora corporis membra, sed etiam interiores facultates, uti sunt phantasia, appetitus sensitivus, etc. vi aliqua extrinseca, v. gr. Angeli tum boni tum mali, voluntate nequicquam reluctante, ad aliquos actus moveri possunt.

(14) At enim si adest periculum consensus, non suadenda modo est opposita agendi ratio, sed prorsus indicenda. Si

3^o Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, quando scilicet ex una parte inutilis foret, ex altera autem agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel Religionis iniuriam requiritur.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

Dicetur 1^o de essentia moralitatis; 2^o de eiusdem fontibus.

ARTICULUS I. — DE ESSENTIA MORALITATIS.

22. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quaestiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Iuxta communiorem autem doctrinam, sequentia videntur statuenda:

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actus humani ad legem aeternam, quae est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex aeterna potest esse primaria morum regula (1). Et sane huiuscemodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis, et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex aeterna, e qua sola caeterae leges vim obligandi accipiunt: ergo. Sic ex S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2.

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actus humani ad rectam rationem. Ratio, quia sola recta ratio potest homini manifestare legem aeternam, seu primariam morum regulam. Ergo recta ratio est regula subiectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate seu difformitate actus humani cum recta ratione. — S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4.

23. **Resolves.** — 1^o Ens igitur morale illud omne et solum est, quod substat regulae morum seu legi Dei praecipienti aut vetanti aut permittenti (2). Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum,

vero abesse eiusmodi periculum prudenter censi potest, haud apparet, poenitentem ad grave damni seu infamiae discrimen subeundum sine pari causa facile inductum iri. Conf. La Croix, Lib. 3. P. 1. n. 916.

(1) Ut recte lex aeterna statuatur seu regula morum, seu norma *moralitatis*,

latius hic accipiatur oportet, adeo ut indicet non solum ordinem, qui necessario servandus est, sed etiam qui convenienter servatur. Secus excludetur actuum non praeceptorum honestas.

(2) Minus apta est ista disiunctiva: neque enim actus quilibet, qui non sit praecipuus aut prohibitus, dici debet mere